



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-348274-p0001-0

DFG



1778, 6  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

20

DE

# LVCRO EX CONFISCATIONE AN ET QVATENVS VI IVRISDICTIONIS PATRIMO- NIALIS PERCIPIATVR

QVAM  
AVSPICIIS REGIIS  
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRAESES IDE  
**CAROLO FRIDERICO WINKLER D.**

REGI A CONSILIIS IVSTITIAE ET IVRIS  
ANTECESSORE

PRO  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS RITE OBTINENDIS

A. D. IX. DECEMBRIS CIO 10CC LXXVIII

DEFENDET

AVCTOR  
**FRIDERICVS WILHELMVS LEWON**  
VTINO HOLSATVS.

---

KILONII

LITTERIS MICH. FRIEDR. BARTSCHII ACAD. TYPOGR.

DIGESTATIO MAGISTERIALE LIBRARI

F. V. G.  
EX COMMISSIONE  
LIBRARIUS MAGISTERIALIS LIBRARII

PIETRO MARCOZIO

LIBRARIUS MAGISTERIALIS LIBRARII

ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
**FRIDERICO LEVIN**  
S. R. I. COMITI  
**DE HOLMER**  
DYNASTAE IN TANGSTEDE  
ORDINVM AQVILAE ALBAE SCTAE ANNAE ET SCTI  
STANISLAI EQVITI  
REVERENDISSIMI SERENISSIMIQVE  
EPISCOPI LVBECKENSIS  
DVCIS SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE  
DITMARSIAE ET OLDENBVRGI reliqua  
CONSILIARIO ACTVALI INTIMO  
STATVS PER DVCATVM OLDENBVRGENSEM  
SVMMO DIRECTORI  
DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

SALVTEM AC FELICITATEM PERPETVAM

PRECATVR

OMNIS DOMINA ATQUE MATER

HAS QVALESCVNQVE STVDIORVM PRIMITIAS

DEVOTO ANIMO CONSECRAT

ILLVSTRISSIMI NOMINIS SVI

FRIDERICO WILHELMO LEWONI

ET SEQUITRISCVNQVE

PRIMITIAS STUDIORVM

DEVOTISSIMVS ATQVE OBSEQVIOSISSIMVS CVLTOR

FRIDERICVS WILHELMVS LEWON.

DOMINA SVA IMPERATORIS

## C O N S P E C T U S.

---

---

CAP. I. De confiscatione & variis eius speciebus generatim.

A. GENERATIM de natura & indole confiscationis. §. I.

B. SPECIATIM indicantur.

a) variae eius species. §. II.

b) & quatenus adhuc hodie obtineant ostenditur. §. III.

CAP. II. De iure Fisci territoriali, eiusque ambitu atque limitibus.

A. IUS FISCI IN GENERE quoad notionem ius regiminis. §. IV.

B. SIGILLATIM.

a) Imperii. §. V.

b) Territorium, vbi

1) de eius ambitu agitur. §. VI.

2) eiusdem restrictiones demonstrantur.

a) ex diuersa iurium regiminis conditione. §. VII.

b) restricta dominorum territorialium potestate.

1) secundum analogiam regiminis imperii. §. VIII.

2) per pacta fundamentalia specialia. §. IX.

3) per generalem normam regiminis circa conservationem iurium quae sitorum. §. X.

CAP. III. De Lucro ex confiscatione seu publicatione bonorum quatenus ad iudices patrimoniales pertineat.

A. De finibus regundis inter iura dominorum territorialium & patrimonialium. §. XI.

B. De

B. De Iuribus Fisci in complexu quae denegantur.

- 1) Ob subordinationem erga superioritatem territorialem. §. XII.
- 2) Quia mero imperio non inhaerent. §. XIII.

C. De singulis iuribus eo comprehensis.

- 1) Generatim ex iure dominii & iurisdictionis. §. XIV.
- 2) Speciatim de lucro ex confiscatione.

a) Si prouisio Legum adest. §. XV.

b) Si leges silent: vbi sermo est.

- 1) De bonis vacantibus, quae dominis territorialibus cedunt. §. XVI.

- 2) De iis quae praevia causae cognitione publicantur.

a) vel specialis causae conditio decidit. §. XVII.


b) vel talis conditio deficit: tunc hoc lucrum iurisdictioni patrimoniali vindicatur.

- 1) ob originariam iurisdictionis patrimonialis conditionem. §. XVIII.

- 2) ex analogia Iuris publici I. R. G. generalis. §. XIX.

- 3) ex ipsis legibus imperii. §. XX.

- 4) ex obseruantia. §. XXI.





C A P V T I.  
DE CONFISCATIONE  
ET  
VARIIS EIVS SPECIEBVS GENERATIM.

§. I.

 Perquam exiguum, & fere nullum esse iuris Romani usum in argumentis iuris publici imperii nostri Germanici, maximeque perversam esse ejus applicationem, indeque natam scriptorum mediæ aevi tractandi materias huc pertinentes valde jejuna rationem, inter omnes constat. Neque autem perversa atque inepta totius studii tantum methodus, & perquam falsa doctrina juris publici I. R. G. sed & potissimum juris territorialis atque privati inde orta est, quum nulla fere juris patrii doctrina, a commixtione juris illius peregrini libera relicta fuerit, & totum sistema, perinde ac singulæ juris quaestiones ex illius

A

ratio-

rationibus decidi consueverint <sup>a)</sup>. Quod cum in aliis quaestio-  
nibus quam plurimis, tum vero in hac potissimum adparet; ad  
quem pertineant bona, quae poenae nomine privatis auferuntur,  
& in reipublicae proprietatem rediguntur, quem actum *confiscatio-*  
*nem*, aut *bonorum publicationem* vocant, *Confiscatio* a conjun-  
gendo cum fisco dicta est, ut adeo recte B. BRISSONIUS <sup>b)</sup> con-  
fiscari dicat, bona quae in fiscum coguntur, vel secundum MAR-  
CIANVM <sup>c)</sup> fisco vindicantur. Prono hinc alveo fluit, ejus esse  
bona ejusmodi, quae in commissum cadunt, cuius jus fisci est,  
idque, cum ex ratione juris Romani solius esset imperatoris,  
reipublicae nomine id exercentis, leges quoque Romanae soli  
reipublicae ac summae in ea potestati illud adscribunt <sup>d)</sup>. Longe  
diversa a statu imperii Romani est imperii nostri R. G. ratio.  
Quum enim in illo jura regiminis ad solum imperatorem spe-  
ctarent, & ipsum imperium unum sub suo regimine immediate  
conjunctionem esset, Germanicum autem Imperium, licet in eo  
adhuc sit & hoc usque manserit, omnium ac singularium Ger-  
maniae rerumpublicarum specialium inter se invicem vinculum,  
tamen ex pluribus rebuspublicis & forma & regimine plane di-  
versis constat, quarum dominis, imperium civile proprio jure,  
sub nomine superioritatis territorialis competit, omniaque jura  
regiminis civilis comprehendit. Sed ne his quidem dominis  
territorialibus illimitata in suis ubique territoriis potestas, nec  
plena facultas jura regiminis exercendi competit, quin potius,  
in ipsis hisce territoriis sunt, qui singulas quasdam jurium regi-  
minis particulias sibi vindicant, quarum nomine jus fisci pri-  
mum fere locum occupat, quod hi qui jurisdictione patrimo-  
niali

<sup>a)</sup> vide B. G. HENR. AYRERI pro-  
gr. an 1<sup>o</sup> quatenus institut. Justinianear.  
method. doctrinae juris publici J. R. G.  
accommadari possit. Goettingae 1756.

<sup>b)</sup> in tractatu de Verbor. signif. hac  
voce.  
<sup>c)</sup> in L. 3. D. de bon. eor. qui ante  
sent. mortem sibi conciv.  
<sup>d)</sup> L. 10. D. ad Municip.

niali uti vocatur, sunt praediti, non autem, qui administratorem exercent, plerumque sibi adtribuunt ipsisque etiam a multis tribuitur <sup>e)</sup>, licet iidem illi, in dubium vocare non audiant, hunc fiscum magistratum quorundam fisco principis longe inferiorem esse, ac minora tantum jura comprehendere. Ad limites autem utriusque fisci recte discernendos, judicio finium regundorum accuratissimo opus foret, quod suscipere, temeritatis esse videtur, quam ipsi LEYSERVS <sup>f)</sup> non dubitaverit, si quis ipsi hoc detulerit.

*Non nostrum, inter vos tantas componere lites*

respondere: Laudans GRIENERVM <sup>g)</sup> qui, et si quaedam magistratum jura, quae principes hic usque ipsis reliquerunt, ad fiscum principis trahat, tamen, se plurima alia lubenter omittere ac multas causas habere, cur brevissimus in hoc argumento sit, quod alias absque negotio & copiosius & plenius exponi potuisset, profitetur. Neque enim desunt magni nominis ICti <sup>b)</sup>, qui jus fisci ad magistratus, judices & dominos jurisdictio- nis patrimonialis non pertinere adfirmant, ut adeo in tanta dis- sentientium contentione, tantaque sententiarum diversitate, consultius esse videatur ab examine horum jurium prorsus de sistere. Attamen quum ICti interdum ea de re sententiam pro- ferri & lites desuper motas dirimere teneantur, hoc argumentum paulo accuratius pro viribus pertractare, & quantum fieri po- test, regulas hujus doctrinae exponere, haud plane inutile & su-

A 2

perva-

e) LEYSER in Medit. ad Pand. Spec. DCCVIII. med. I. & II. SCHIL- TER Ex. 50. §. 1 — 5. & plures alii quos recenset CHRIST. HENR. FREISLEBEN in tractatu de jure fisci Landfassiorum §. II. p. 5.

f) cit. loco med. VIII.

g) in Opusc. de Juribus principum regalibus, quae vulgo, sed perperam, ad jurisdictionem referuntur. §. 7. & 20. in- ter opusc. Jur. publ. T. I. opusc. IV.

b) Recensum eorum exhibet FREIES- LEBEN c. I. §. 3. p. 7. SCHAAFF diss. de jure fisci ad civitates mediatas sen- nicipales non pertinentem. §. 3.

pervacuum esse putavi. Praemissis itaque hoc Capite generalibus, de confiscatione variisque ejus speciebus principiis, proxime sequenti Capite altero, praecipuas juris fisci determinations exponam, & capite tertio atque finali exinde deducam, an & quatenus jurisdictione patrimoniali praediti jurium fisci capaces dici queant.

### §. II.

Varias quidem confiscationis species vulgo referunt, sed nullibi fere integrum hanc doctrinam suo ordine & nexu propo-  
nunt, alii, in commentariis juris criminalis, respectu ad jura  
publica, nullo habito, confiscationem quatenus poenae loco obti-  
net, pro fine suo solum repraesentant: scriptores vero juris  
publici, ubi de confiscatione in genere tanquam jure regi-  
minis loquuntur, vix obiter confiscationis in causis criminali-  
bus obvenientis mentionem faciunt, unde factum esse vide-  
tur, ut tota haec materia nullibi adhuc satis perspicue & in am-  
bitu suo tractata sit. Utilitas ejus de qua agere constitui ma-  
teria integrum confiscationis conspectum exigere videtur, quum  
fine eo, varia ejus jura vix determinari possint. Prima itaque  
confiscationis distinctio se nobis sistit inter eam, quae fit, vi ad-  
quisitionis eorum quae ADESPOTA i. e. talia bona vocantur,  
quorum nullum privato est dominium <sup>a)</sup>, quae tamen, quate-  
nus ad territorium pertinent, nec speciali ratione a nexu ejus  
exempta sunt, in dominio principis publico sunt, fisco vindicari  
& in utilitatem publicam converti possunt: & in eam qua, pri-  
vatis bona sua ex speciali ratione admuntur, & publice distra-  
huntur quam proprie confiscationem vocare solent <sup>b)</sup>. Haec  
duplici

<sup>a)</sup> IO. IOACH. SCHOEPFER *de juri principis circa adepota. Rost. 1705.*

<sup>b)</sup> Ex hac quoque divisione facile intelligi potest, quatenus confisca-

fit juris publici quatenus juris priva-  
ti: poenales enim leges licet publica

auторitate latae, privatos tamen  
concernunt, & juris privati partem

duplici respectu considerari potest, ratione objecti & ratione fundamenti seu causae. Quoad objectum vel generalis seu potius universalis est, quae omnia bona alicujus, vel complexum bonorum concerit, vel singularis aut specialis quae ad quae-dam tantum bona vel ad partem quandam bonorum directa est. Intuitu fundamenti vero distinguunt ordinariam atque extraor-dinariam <sup>c)</sup>: priorem dicunt quae in casibus, jure, consuetu-dine vel statuto, aut principis constitutione, sive generali sive speciali expressis, obtinet; eamque iterum, in generalem sive tacitam, & specialem sive expressam dividunt, quarum illam, dicunt, quae sine speciali determinatione delicti alicujus, in multis casibus ejusdem generis obtinet, qualis jure antiquo Ro-mano antejustinianeo poenae capitali, ob quodlibet delictum irrogatae adhaerebat <sup>d)</sup>; hanc vero, quae intuitu unius alte-riusve delicti speciali lege praescripta est: posteriorem vero, eam dicunt, quae in casibus, jure, consuetudine vel statuto non expressis a summis solummodo imperantibus ex gravi cau-sa decernuntur.

### §. III.

Pleraequae harum specierum adhuc obtinent. Omnem quidem confiscationis poenam, excepto casu criminis perduellio-nis & laesae maiestatis sublatam dicunt <sup>a)</sup>: sed ita sentientes, le-ges quas allegant non satis accurate examinasse videntur. IV-STINIANVS Imp. <sup>b)</sup> in favorem descendantium & ascendantium usque ad tertium gradum disposuit, eorum, qui in criminibus ac-

A 3

cusan-

constituent: ad rempublicam autem proprius spectat dominium earum re-rum, quarum nullum privatis est dominium.

<sup>c)</sup> IAC. OTTO. in Corp. Jur. Crim. P. I. p. 379 seqq.

<sup>d)</sup> vide NICOL. KLOECKHOFF Historia juris Romani de bonis damnato-rum. Lugd. Batav. 1749. 8.

<sup>a)</sup> ap. OTTO c. 1.

<sup>b)</sup> Nov. C. XXXIV. Cap. fin. pp.

*cusantur, in quibus leges mortem aut proscriptionem definit: si convinantur, aut condemnentur substantias, non fieri lucrum judicibus aut eorum officiis, sed neque secundum veteres leges fisco eas applicari.* Ex qua dispositione recte HERTIVS<sup>c)</sup> deducit, veram esse eorum sententiam, qui expressam sive specialem confiscationem certis criminibus singulatim positam, a IVSTINIANO sublatam haud existimant<sup>d)</sup>: Eadem interpretatio commode applicari potest ad extensionem hujus decisionis ad cognatos a latere usque ad tertium gradum<sup>e)</sup>, quum in nulla harum legum, poenae confiscationis, in specie statutae mentio sit; sed de poena mortis aut proscriptionis, cui olim inerat poena confiscationis, sermo sit: nec igitur ad sensum meretur eorum opinio, qui utramque, tam generalem sive tacitam, quam specialem sive expresiam confiscationem sublatam esse arbitrantur<sup>f)</sup>. Ad ejusdem vero dispositionis analogiam facta esse videtur Constitutio CAROLI V. Imp. g) qui eandem illam tacitam confiscationem non in favorem liberorum & uxoris tantum, sed simpliciter sustulit<sup>b)</sup>, & inter abolendas consuetudines retulit. Ex utraque igitur dispositione, in causis, ubi specialiter confiscationis poena statuta est, eadem hodiendum obtinet, sic confiscatio domus, falsis numariis ad eundem commodatae<sup>i)</sup>, tanquam nullibi sublata, & C. C. C.<sup>k)</sup> expresse confirmata recte dicta-

c) in diff. de superioritate territorialis, &c. XLII, in Opusc. Vol. I. P. II. p. 201.  
d) SIXTINVS de Regalib. Lib. II. Cap. XII. n. 32. LAVTERBACH de Fisci. Cap. III. §. VII.

e) in Autb. Bona damnator. C. de bonis proscriptorum.

f) MATTHAEI de Criminib. Libr. XLVIII. Tit. XX. Cap. II. pag. 765. seqq. & BRUNNEMANN ad Autb. cit.

g) Arr. CCXVIII, C. C.

b) conf. HERTIVS c l. FRANCISC. SCHMIER in *Jurispr. practico consilia*ria Consil. L. IX. BOEHMER ad CARPOVIVM Qu. 135. obs. I. LVEDER MENKE diff. de testamenti factione damnatis ad mortem iure civili denegata & moribus plenisque afferua. Lips. 1694. CAROL. FRIED. WALCH de donatione capite damnati. Jenae 1766.

i) L. I. de falsa moneta.

k) Art. CXI.

dictatur <sup>b)</sup>; Cujus autem sit lucrum ex hisce confiscationibus,  
infra dicendi locus erit.

C A P V T II.  
DE IVRE FISCI TERRITORIALI  
E I V S Q V E  
AMBITV ATQVE LIMITIBVS.

§. IV.

Confiscationem, vi juris fisci ordinarie exerceri, supra (§. I.)  
observavi. Quum itaque jus fisci supponi debere videatur;  
notionem ejus, paulo accuratius definire, non alienum v' detur  
quum exinde, ipsa determinatio jurium intuitu ejus obtinetur  
etiam, deducenda sit. Quod mutata reipublicae Romanae for-  
ma evenit, vt fisci principum & aerarii reipublicae jura, distin-  
cta olim, fere confusa, & ipsa vocabula promiscue usurpata sint,  
idem, observante Perill. BOEHMERO <sup>a)</sup> hodie usu venit: vt  
adeo fisci nomine, universitas, seu complexus omnium bonorum or-  
dini in rebus publicis imperantium ad sustinenda onera publica reser-  
vatorum, veniat <sup>b)</sup> juraque, in fisum, cumque vel conservandum  
vel amplificandum, vi supremi imperii competentia. vel uti 10.  
VALENTIN STRAVS <sup>c)</sup> id definit, ius arcum publicam, quae pe-  
cuniā ad usus publicas immediate destinatam continet ex causis va-  
riis paratam habendi, augendi & tractandi, strictiori enim signi-  
ficatio-

<sup>a)</sup> ENGAV in Dec. P. III. Dec. 87.  
n. 2. FROELICH ad C. C. C. P. II. p.  
96. n. 9. & I. H. BOEHMER in Con-  
sultationibus P. II. P. II. Resp. 1186 n. 5.

<sup>a)</sup> in Progr. de jure fisci, civitaribus  
mediatis vi concessi juris Lubecensis non  
competente. §. I. in Elect. Iuris civilis  
P. II. Ex. X.

<sup>b)</sup> vide 10. TOB. HOFFMANN in  
diff. de patrimonio principis privato quod  
hodie Chatoull vocant ejusque privilegiis  
& juribus. Cap. I. §. VII.

<sup>c)</sup> in diff. de Vindiciis fisci legalibus  
persæpe adeo male habiti. Sect. I.

ficatione, tantum denotat, *complexum reddituum publicorum aulae usibus destinatorum, vel ad separatos principis usus collectorum*<sup>d)</sup>. Utroque interim respectu hoc loco praeterire non possum, quod quum latius pateat jurium omnium, quae ad fiscum pertinent, complexus etiam jura singula, eodem ambitu comprehensa, appellationem juris fisci meruerint. Ex his omnibus interim facili negotio intelligitur, jus fisci ex juris publici universalis sententia, qua cum omnium omnino cultiorum gentium placita conspirant, ex supra in republica potestate deducendum<sup>e)</sup>, & solius principis esse<sup>f)</sup>, ad quem unice spectat jus efficiendi, ut tanti colligantur redditus, quanti ad rempublicam administrandam requiruntur sumtus. Partim igitur ex jure dominii eminentis, princeps, loca quae in territorio ad neminem pertinent<sup>g)</sup>, vel quae ex iusta causa privatis veluti per confiscationem admuntur<sup>h)</sup>, sibi vindicat: partim vi juris supremae potestatis iudiciaiae, indeque profluentis iuris puniendo & exequendo, quum poenae contineant rationem satisfactionis reipublicae nomine principi praefundae, quae ex his redeunt, ex forma regiminis I. R. G. fiscalibus redditibus solent adnumerari, i) & in utilitatem supremae potestatis redigi.

## §. V.

Ratione totius imperii, caesareum jus fisci in iis tantum hodie supereft, quae ad regimen totius imperii spectant; & personas

<sup>d)</sup> SCHAAFF diff. de jur. fisc. ad ci-  
vit. med. seu munic. non pertinente §. II.  
pag. 3.

<sup>e)</sup> GOTTH. LUDOV. MENKEN diff.  
Ius fisci mero adhaerens imperio §. I. p. 3.

<sup>f)</sup> IARGOW Einleitung zu der Lebre  
von den Regalien. Libr. II. Cap. I. §. I.

<sup>g)</sup> G. H. AYRER diff. de jure occu-  
pandi bona vacanta: COCCEIUS de bo-

nis vacantibus §. XI. & XII. MEVIVS  
P. IV. Dec. LXVI. IARGOW c. I. Libr.  
II. Cap. VI. §. 2.

<sup>h)</sup> HERTIVS diff. de superiorior. ter-  
rit. §. XLIII. & KLOCK P. I. Consil. 22.  
n. I & 2. conf. 23. n. II.

<sup>i)</sup> vid. III. IO. CHRIST. MAYER  
Teutonicus Weltlicher Staatsrecht III B.  
§. 55. b) p. 147.

personas atque terras immedias concernunt; & in summis imperii tribunalibus, constituti sunt ab imperatore officiales, quibus cura fisci & jurium eo pertinentium specialis demandata est, redditus autem fiscum huncce augentes, liberae imperatoris subsunt dispositioni.

## §. VI.

Magis ad scopum nostrum pertinet fiscus territorialis qui latius se extendit, quam enim proceres imperii, jura regiminis primo sigillatim ex gratia partim Imperatorum adquisiverint, deinde integrum complexum jurium territorialium proprio jure; immo expressa legis imperii sanctione stabilitum <sup>a)</sup>, obtinuerint: jus fisci, tanquam jus sub complexu illo jurium territorialium comprehensum, non ex speciali concessione, sed ex generali potestate juris territorialis ipsis competit <sup>b)</sup>. Superioritatis enim territorialis elogio, quam quaevis regalia continant liberum que corundem exercitum, jus fisci non minus, in genere quam jus, fisci emolumenta legibus speciatim determinandi eo recte refertur <sup>c)</sup>: adeo, ut status imperii, fisci jura in suis territoriis mutare, novis accessionibus ejusdem compendia amplificare, novas confiscationis causas constituere <sup>d)</sup>, easdemque pro arbitrio restringere possint. Sic hodie non tam est quaestio inter Caesarem & status imperii, quam inter hos & ordines provinciales, aliosve immediatos imperii cives <sup>e)</sup>, qui, in suis ditio-

B nibus

a) I. P. O. Art. VIII. §. I. & IV.

b) vid. Arr. XIX & XXI Cap. Caesar.

c) HERTIVS de origine & progressu  
special. I. R. G. Rerumpubl. in Opusc. T. II.  
SCHVLTE diff. de jure fisci in hereditates  
privatorum §. XXXVII.

d) THOMASIVS diff. de statuum imperii potestate legislatoria contra jus commune. KRESS ad Arr. 218. §. 5. C. C.

C. BRVNNEMANN Consil. LXXVI.

pag. 303

e) conf. CHRIST. THOMASIVS  
diff. de regal. fisci principum Germaniae  
circa acquisitionem praecepit. Halae 1713.  
I. G. NEVREUTER de justo & injusto  
regalium usu. Mog. 1755. IVST. G.  
HEVSEY de distinctione regalium in effen-  
tialia & accidentalia. Goettingae 1755.

nibus atque fundis, varia sibi vindicant jura specialia, quibus superioritatis territorialis exercitium imminuitur, aut certe restringitur.

§. VII.

Ad istorum autem iurium expositionem, antequam accedam, monendum ante omnia videtur, haud omnia jura, quae partes juris territorialis constituant, eam habere naturam, ut essentialia quasi regiminis jura censeantur, & principi ad imperium exercendum tam necessaria sint, ut ejus officiis quasi inhaerent, & quia personalia vel personalissima sint, cum nullo privatae conditionis homine communicari possint; quam potius, multa eorum, regalia sint mere accidentalia <sup>a)</sup>, quae salvo summae potestatis jure, aut sine reipublicae detimento, & solum principis summa potestate, alii etiam civibus, nobilioribus praesertim relinqu possunt, eamque ob causam communia vocantur; sive ista largitio & communicatio expressis verbis, qualis in litteris investiturae feudalis, & privilegiis occurrit, sive tacita concessione, quae fit mediante praescriptione <sup>b)</sup>, aut longaevo uso, nitatur. Ad quam regalium diversitatem respxisse videtur HVLDERICVS AB EYBEN <sup>c)</sup>, qui regalia privatorum ea dixit, quae quando ad summos principes referuntur, majestatis jura, quando ad privatos, libertatis partes sunt, ipsis relictae sive induluae, & quorum illa, vi majestatis, haec libertatis beneficio exercentur: quo collineat sententia B. AYRERI <sup>d)</sup> qui ita mentem suum hac de re exponit, qui facultatem aliquam in censum regalium referendam esse contendunt, probare debent,

<sup>a)</sup> I. G. HEYSER. cit. diff.

<sup>b)</sup> OCKEL TR. de praescriptione immemoriali praesertim rerum domianialium & regal. principis. Cap. V. thes. 3. & Collect. decif. supr. Tribunal. Appellar.

Hasso. cassell. T. I. Decif. 164. n. 18.

<sup>c)</sup> in diff. de Regal. Cap. XI. §. V.

<sup>d)</sup> in diff. Regalium & Superioritatis territorialis ad suos limites reductae diversitas. §. V.

bent, vel civitatis naturam, civium consensui innixam, eam summae potestati impertiisse. Ea enim — — — natura civitatis solummodo jura rectori civilis societatis largitur, sine quibus hanc partem tecum servare non potest. Necesse est nulla cogente nemo in statu civitatis repudium mississe censor facultatibus, quibus in statu naturali usus est, utpote quorum conservandorum causa imperio civili se submisserunt homines. Quae regalium diveritas, in imperio nostro & in specialibus ejus rebus publicis valde conspicua, momentosas in decidendis ejusmodi, inter status imperii & eorum subditos controversias normas suppeditat.

## §. VIII.

Accedit restricta juris territorialis formula, ex natura regiminis territorialis, ejusque sub caesareo subordinatione, & ad imperium relatione descendens. Quemadmodum enim, regimen caesareum variis limitibus per ipsas leges circumscriptum est, ita territoriale quoque regimen, ex analogica quodammodo determinatione, pro restricto iisdem fere legibus certe habendum est. Illa analogia, quam Perill. PÜTTER<sup>a)</sup> inter normas regiminis territorialis referre non dubitat, dudum observata fuit, ut nimurum ea quae tum in territoriali tum in caesareo regimine occurrent jura, utrobique eadem circiter ratione exceantur. Egregia est hac de re HENRICI BINNII<sup>b)</sup> observatio, cuius verba hoc loco legere haud erit ingratum: si, inquit, animum advertamus, miram quandam similitudinem, cum ipsis imperii administratione, praesertim qualis olim erat comprehensimus. In inferioribus enim hisce rebus publicis adeo multa occurrint instituta quae analogiam quandam ad superiorēm imperii rem publicam

B 2 respi-

a) in Institut. jur. publ. §. 206.

b) in dissertat. de statu regionum Germaniae & regimine principum summæ imperii reipublicae aemulo. Cap. IV. §. 5. conf. a SENKENBERG selecta Iur. & Hist. T. V. praef. §. I. p. 4.

*respiciunt, ut in partibus ipsis, quasi effigiem quandam totius cernere videamur.* Ex qua similitudine partium cum toto, non incongrue ducitur argumentum, quod eadem illae restrictiones, quae in regimine imperii obtinent, suo modo ad regimen territoriorum adplicantur, & legum auctoritatem habeant <sup>c)</sup>, quum testantibus ipsis actis publicis <sup>d)</sup>, proceres imperii, in causis regiminis imperii, ad jura territorialia provocare non dubitaverint.

### §. IX.

Hinc, minora forte territoria si exceperis, quae ante natam superioritatem territorialem in solo castro, praediis & fundis exiguis forte consistebant; & in quibus, teste perill. PUTTERO <sup>a)</sup> non jurium regiminis, sed proprietatis & dominii ratio habetur, adeo, ut modo magis herili regantur <sup>b)</sup>, & potestas dominorum non ita restringi potuerit, uti in iis, ubi pactis & conventionibus omnis inter dominum & parentes nexus nititur, & utraque pars ad illas est adstricta; pro illimitata & arbitraria habenda haud est superioritas territorialis <sup>c)</sup>: quum nulli fere non territorio alias sat libero, pacta soleant esse specialia, tamquam speciales cuiusque leges fundamentales, & normae regimini administrando praescriptae.

### §. X.

Vi specialium istarum legum fundamentalium perinde, ac vi generalis a nulla suprema in republica potestate unquam negligendae normae regiminis, salvis cuiusque juribus quae sitis regimen

<sup>a)</sup> MAIER c. I. §. 6. p. 9. seqq.

<sup>b)</sup> LUDOLPH *Syphorem Consultat.*  
<sup>d)</sup> ap. de MEIERN in *actis pacis for. T. I. Conf. X.* p. 326 & 360 seqq.  
*Westphalicae. T. I. §. 294.*

<sup>c)</sup> I. C. MAIER c. I. III. 13. I. *Abh.*  
<sup>d)</sup> in den Beyträgen zum teutschen Staats- und Fürstenrecht n. VI. p. 129 & VII. p. 140 seqq.

<sup>b)</sup> I. Cap. §. 18. p. 50. SECKENDORFFS  
teutscher Fürsten-Staat. II. Theil. I. Cap.  
§. 2. n. 4.

regimen territoriale excerdendum est <sup>a)</sup>, quam etiam normam ipsae leges I. R. G. fundamentales adgnoscunt, atque expresse confirmant <sup>b)</sup>, ut adeo rectissime TREVERVS <sup>c)</sup> erroribus imperio nostro admodum pernicioſis, adnumeret adſentationes eorum, qui ſtatuunt, in controverſiis ſtatuum imperii cum ſubditis ſuis civibus, caefari & judiciis imperii nullam compe-tere cognitionem: caefari curae eſſe non debere, quomodo quisque ſibi ſubditos regat: legibus imperii cautum eſſe, ne in regimeſe ſui territorii, ſtatus ulla ratione turbentur: imo vero, querelas ſubditorum a limine judicii rejiciendas, & arbitrio domini territorialis relinquendas eſſe <sup>d)</sup>: quum in eo peccetur, quod adplicatio legum imperii hac in parte perperam fiat, & quae ſaltem quadrant in ſubditos ſtatuum rebelles & refractarios, trahantur quoque in ſubditos in juribus ſuis laefos, neutrām jussui principis pertinaciter reſiſtentes, ſed querulantes potius de injuriis ſibi factis: quum tamen mediati cives aequē protectioni Caefaris & imperii ſubſint, ac cives immediati: & imperator obligatus fit, ad iuſtiſiam illis aequē ac iis adminiſtrandam <sup>e)</sup>, juraque eorum ſarta tecta conſervanda. Omnes autem iſtae determinationes atque reſtrictiones, quae generatim ad ſuperioritatē territorialem perteſt, ad ius fiſci, tamquam partem hujus juris ſpecialem, commode adplicari poſſunt.

## B 3

## CAPVT.

<sup>a)</sup> ERTTEL palaeſtra. Aulico ju-  
ridica de juribus principum Exerc. III.  
perill. PVTTER c. l. n. XX, p. 351.

<sup>b)</sup> Sic cautum in der Kaiserlichen Re-  
ſolution de a. 1670. Wegen geſuchter Ex-  
tenſion des I. R. A. I. 180. Einen jeden,  
bey dem deſſen er berechtigt, und wie es  
bis dato obſervirt worden, in alle Wege

verbleiben zu laſſen. apud SCHMAVSS  
in Corp. Iur. publ. p. 1079.

<sup>c)</sup> in diſſ. de ſtud. nim. libert. circa  
ſtatus imperii ruinam Imperio R. G. pro-  
curanrib.

<sup>d)</sup> R. I. N. §. 178 & 180. Capit. Caef.  
Art. XV. & XIX.

<sup>e)</sup> Cap. Caef. Art. XV. §. I.

## C A P V T .    III.

DE LVCRO EX CONFISCATIONE  
SEV PVBLICATIONE BONORVM

QVATENVS

AD IVDICES PATRIMONIALES PERTINEAT.

## §. XI.

**H**os omnes juris territorialis limites, propterea posui, ut, applicatis iis ad jus fisci, an & quatenus emolumenta eo pertinentia, ad privatos pervenire possint, intelligatur. De fisci juribus inter principes & dominos territoriorum & nobilis aliosque possessores praediorum quibus patrimonialis jurisdictione inhaeret, potissimum quaeri, supra (§. VI.) observatum dedi. Hi, etiam si superioritatem territorialem perinde ac reliqui subditii agnoscere teneantur, nihilominus praerogativis nonnullis, juribusque praecipuis haud parum distincti sunt. Sic non solum jura quaedam praecipua, quae ad usum fundi referri possunt, veluti venationis, pescationis & alia hisce equestribus bonis inhaerent, sed singularem quandam *jurisdictionis* speciem, quam vocant *patrimonialem*, in hisce suis fundis exercent, vicajus constituant praefectum aut alium justitiarium ad exercendam jurisdictionem in personas & res, intra limites istius jurisdictionis constitutas, & ita quidem, ut aliis sola civilis, aliis & criminalis vel omnimoda sit, jurisdictione ejusmodi patrimonialis. Complura alia plerumque insignia nobilium jura, veluti jus detractus, jus confirmandi negotia rusticorum & in primis jus exigendi jusjurandum assecurationis, adeo ut passim vel singulare iterum nobilium in sua cujusque ditione in rusticos seu subditos suos subordinatum imperium civile esse videatur, variaque jura ad jus fisci pertinentia ibi exerceantur: quippe quae, secundum

secundum distinctionem supra (§. VII.) positam, inter regalia essentialia atque accidentalia, posterioribus adnumerantur <sup>a)</sup>, & inter ea referuntur, quae commode ab imperio possunt separari.

## §. XII.

Quum interim jus fisci territoriale integrum complexum jurium contineat, facile potest intelligi, non totum jus fisci, ad regalia pertinens, quibus interim domini patrimoniales de-  
stituuntur <sup>a)</sup>, dominis hisce patrimonialibus competere, quum jurisdictio ista, quoconque etiam titulo a domino regionis ve-  
lut fonte jurisdictiois adquisita, semper ea conditione data censeatur, ut superioritas ejus non laedatur <sup>b)</sup>. Omnia igitur jura, jurisdictioi illi cohaerentia, non nisi salva superioritate territoriali, salvisque juribus vi hujus competentibus, exercen-  
tur: adeo, vt patrimoniales judices eam adgnoscere, leges a domino territorii latas observare, &, ut ab aliis obseruentur,  
curare teneantur <sup>c)</sup>.

## §. XIII.

Nec idem jus ex mero imperio sive potestate aut jurisdi-  
ctione criminali recte deducitur. Opinio enim quorundam me-  
dii aevi Doctorum, qui in illo ipso primariam juris fisci ratio-  
nem collocandam esse, sibi forte, neque multis aliis persuase-  
runt, BALDO <sup>a)</sup> originem debet, qui jus fisci meri imperii pro-  
ventum esse contendit, quem deinde ICTORUM GERMANORUM  
plures a BALDO decepti, improvide fecuti sunt. Enimvero  
quum

<sup>a)</sup> BODINVS de Republica Libr. I. Cap. X. AYRER cit. diff. Regal. & su-  
perior. territor. div. §. VII.

<sup>a)</sup> STRUBEN Rechtliche Bedenken  
III Th. p. 160.

<sup>b)</sup> HERTIVS de consultatr. Legibus,  
& iudicis in special. I. R. G. Repuspubli-

cis §. XXIII. ZIEGLER de Iur. Majest.  
Libr. I. Cap. XXIX. §. XII. Franzkius  
Libr. II. resol. XVIII.

<sup>c)</sup> BVDER de mod. acquir. a civit.  
Ger. mediat. jurisd. crim. p. 25.

<sup>a)</sup> Consil. Vol. III, consil. 439.

quum hujus sententiae natales in Italia collocandi sint, statim quid fraudi fuerit ICTis nostratibus, adparet. Merum enim imperium, jurisdictionem & justitiam veterum quamplurimi adeo ampla significatione dixerunt, ut iisdem, si non omnia, quam plurima certe regalia & adhaerentia superioritati territoriali jura, contineantur <sup>b)</sup>. Manifestae igitur falsitatis convincuntur, qui his freti ducibus, jus fisci a mero imperio in sensu juris Romani definito, derivant <sup>c)</sup> quum significatione medii aevi superioritatem territorialem seu potestatem principis desiginet, adeoque vel hoc nomine probare liceat, esse illud jam olim ad jura solis principibus competentia relatum. Multo magis autem error eorum in eo adparet, quod ex jurisdictione criminali dominia praediorum concessa, hoc jus deducere voluerint, quod aperte confusionem illam ostendit, quum notio nem jurium Romanorum ad instituta mere Germanica adplicare voluerint. Recte igitur GRIEBNERVS <sup>d)</sup> jus fisci iis juribus accenset, quae vulgo i. e. ex communi opinione, sed perperam ad jurisdictionem referuntur. Nec obstat, quod ex communi omnium fere Doctorum testimonio, moribus hodiernis emolumenta fiscalia non amplius ad principis fisicum sed inter fructus jurisdictionis referantur <sup>e)</sup>, quum ea non sit hujus consuetudinis indoles, ut tamquam ejusmodi fructus judici quoad proprietatem cedant; sed, uti ill. MEISTER <sup>f)</sup> observat, ut ab his, usibus determinatis adserventur & in eos convertantur.

## §. XIV.

*b) vid. BARTOLVS ad. L. 3. D. de jurid. BALDV ad. L. 5. 6. de exsec. Rei jud.*

*c) Latius hoc deduxit GOTTH. LVD. MENKEN in diff. S. T. Ius fisci adhaerens mero imperio §. IX. conf. quoque CAROL. RUDOLPH. GRAEFFE de jurib. praecipuis & sing. jurisdic. patrim. Cap. I. §. 15.*

*d) in diff. de jurib. princip. regal. quae vulgo sed perperam ad jurid. referuntur §. XX. in Opusc. T. I. p. 138*

*e) STRYCK. V. M. Pandectarum L. II. T. III. §. I. ROSENTHAL de feudis Cap. V. §. 62.*

*f) in der ausführlichen Abhandlung des peinlichen Processes in Teutschland. I. Abschnitt. XI. Cap. §. XXXVIII. p. 519.*

## §. XIV.

Etiam si igitur domini patrimoniales juris fisci, quatenus integrum complexum iurium regiminis circa causas fiscales continet, capaces haud sint, nec vi iurisdictionis ipsis competentis illud sibi recte vindicent, adquisitio tamen atque possessio singulorum iurium, quae certo respectu ad ius fisci pertinent, alio autem respectu magis ad iura proprietatis, iurisdictionis particularis ambitu comprehensa, referenda sunt, & ad eius emolumenta pertinent, ex iisdem rationibus dijudicanda haud est <sup>a)</sup>. Longo abhinc usu, privilegiis, concessionibus & pactis, domini praediorum iura sub iure fisci comprehensa ad quisiverunt <sup>b)</sup>, alia, ex imperatorum ante natam superioritatem territorialem immediatis concessionibus obtinuerunt <sup>c)</sup>, quae propterea vicissitudinibus postea superuenientibus tolli, & iis, qui semel ius quae situm inde nacti sunt, adimi haud potuerunt, quem potius expressa legum imperii sanctione <sup>d)</sup>, ut ordinibus & subditis provincialibus, libertas, bona, iura & privilegia legitime adquisita & longo usu obtenta, confirmantur: alia autem, nobiles ex antiqua potestate in rusticos plerumque seruos ac libertos retinuerunt <sup>e)</sup> nam, quem iurium fuorum tenaciores, ea dimittere nollent, nec dominorum territorialium potestatem admittere, iurisdictionis nomine ea exercuerunt,

## C

quae

a) SCHVLTE cit diff. §. XLI.

b) Multis exemplis hoc probauit B. AYRER in diff. de iure occupandi bona vacantię §. XIV - XVII. conf. FREIESLEBEN de iure fisci Landfisciorum & SEIP de iure occupandi exuicias defunctorum, Cap. II, §. II.

c) vid. PERILL, P. VETTERI ausserlesene Rechtsfälle. T. II. p. III. R. CCXXVI. n. 116.

d) I. P. O. Art. X, §. XVI. add. Art. V. §. XXXIII. Conf. HORNII Ius publ. Cap. XLII, §. II. & Cap. XLV, §. XXVI.

e) vid. omnino HEINECCIVS in diff. de origine atque indole iurisdictionis patrimonialis §. XII, sq. THOMASIUS de hominibus propriis §. LXXXVI, & de usu praet. distinct. homin. in liberos & seruos Cap. II. §. LXIII, l. SAM. FRID. BOEMER in der rechtsgegründeten Muthmaßung von dem Ursprung der Eintheilung in Ober- und Untergerichte §. VI, in SCHOTTS iuristischen Wochenschr., II. Jahrg. pag. 770 & §. II, p. 746 sq.

quae antea vi potestatis dominicae & iure proprietatis exercuerant f). Sic connuentibus plerumque necessitatibus forsan opinione principibus, pleraque iura fiscalia obtinuerunt, & postea retinuerunt, quum principes in litteris inuestiturarum iis in feudum concederent, *die Gerichte, die Ober- und Niedergerichte* g). Adquisitam vero tali modo iurisdictionem, quum non infrugiferam esse vellent, & pro ea amplianda omnibus viribus adniterentur, euenit, vt ad id adsertum confugerent, ius quoddam vulgare fisci, a principiis iure fisci distinctum, huic iurisdictioni ad nexus esse, quo & ipsi forte principes, contra Caesarem fisci compendia vindicantem, antea usi fuerant. Po diversitate igitur horum iurium dominis praediorum competentium, ius quoque fisci territoriale restrictum, multisque suis partibus immutatum deprehendimus h). Tali modo commode determinari poterit sententia Ictorum Saxonorum, qui, non omnia indistincte fisci commoda sine discrimine mero imperio adscribunt, vindicationem bonorum vacantium ei vindicasse contenti i); vt nempe, non plenum ius fisci inde deducatur, sed in certis tantum causis iura singula eo pertinentia specialiter adquisita, & iurisdictioni cohaerentia, huc referantur. Eodemque cum temperamento recte monente HERTIO k) extra Saxoniām hoc intelligendum erit.

## §. XV.

f) CAROL. LVBOV. CHRIST. WILHELM. de DALWIGK meditatt. iurid. de iurisdictione patrimoniali §. III.

g) KNIFSSCHILD de jurib. ac privilegi. nobilitatis immediatee L. III. Cap. III. n. 21. STEPHANI de iurisdictione Libr. I. Cap. XXXVIII. n. 15 & GABR. SCHWEDER de iurisdictione per inuestiuram feudalem concessa §. XIV. in T. I. differt pag. 1089.

h) I. C. MAIER c. I. §. 55. pag. 145.  
i) conf. DAV. MOLLER p. III. cap.

XXXVIII. n. 9. I. SCHNEIDEWINVS ad Tit. Inst. de heredit. quae ab intest. WESENBECK P. IV. Conf.

CLXXXI. n. 67. GARPZOV P. II. Concl. XIV. Def. LXI. RICHTER in Tr. de S. A. I. Sect. V. n. 3. COLER P. I. Dec. LXXII. n. 3 I. H. BERGER in Oecon. Iur. Lib. I. Tit. II. §. 16. n. IV. k) in diff. de superioritate territoriali §. XL. Conf. quoque STRUBEN Rechtsl. Bed. III. Thl. p. 406, 407 & 162. B. AYRER cit diff. §. V.

## §. XV.

Inter haec singula iura, praecipue controversum est illud, bona quae privatum dominum non habent, sive nunquam haberint, sive vacantia facta fuerint, vel quae priuatis ob facta illicita specialiter notata admuntur, & publice venduntur sive confiscantur, & in commissum incident, adquirendi: quidam enim, ea bona fisco principis indistincte tribuunt, quidam vero, iudici patrimoniali ea adjudicanda censent. Ante omnia ad leges provinciales fundamentales, tamquam certissimas normas regiminis, &, quae cum his aequalis valoris est, observantiam, respiciendum erit <sup>a)</sup>, quibus, si quid semel definitum est, ius quae situm ex utraque parte oritur, contra quod, nihil unquam nisi in casu urgentissimae necessitatis statui aut admitti fas est <sup>b)</sup>: nec camerae principis eius sive fisco, in eiusmodi iuris quae siti praeiudicium noua iura tribui ac vindicari possunt <sup>c)</sup>. Hoc igitur respectu limitata fieri potest principis potestas, nec accedere possum opinioni B. STRVBII <sup>d)</sup>, qui liberum principi tribuit arbitrium, de eiusmodi lucro ex confiscaione pro luctu disponendi.

## §. XVI.

Nec ubi leges provinciales fundamentales silent, hoc ius absolute principis fisco tribuere, & ad quaestionem, cuius fit lucrum ex confiscaione, non sine distinctione respondere audeo. Restrictiones iurum regiminis, quarum iam supra mentionem feci, & quas ad ius fisci quoque adplicau, eiusque intuitu specialius determinavi, multa dominis territorialibus adi-

C 2

munt,

<sup>a)</sup> I. IAC. MOSER von den teutschen  
Unterthanen Rechten und Pflichten. IV.  
B. I, Cap. §. 12.

<sup>c)</sup> Laudat, MOSER von der Landes-  
hoheit in Justizsachen IV, Cap. §. XVII,  
P. 123.

<sup>b)</sup> vid. quae allegauit supr. §. IX. & X. pag. 159.

<sup>d)</sup> in den rechtl. Bedenken III, Tbl.

munt, quae ordinarie ad ius fisci pertinere videntur. Distinguo, inter bona, quae praeviae causae cognitione privatis admuntur, & ea, quae vel in nullius unquam dominio fuerunt, vel casu in eo esse desierunt, quae in vernacula nostra *Erblose a) & Heimgefallene*, vel imprimis *Herrnlose Güter b)* appellantur, quo loca deserta & inculta, agri ex hostibus capti, thesauri c) bona naufragorum & si quae sunt alia huius generis, pertinent. Haec bona, quae extra ciuitatem nullius esse censentur, in ea, in reipublicae dominio sunt, quod eminens vocare solent iuris naturalis Doctores d), & cui, omnia bona vacua territorio inclusa, tamdiu subsunt, donec exemptione doceatur. Hinc facile potest intelligi, ius ea occupandi non ad quemuis hominem priuatum, sed ad ipsam rem publicam s. supremam in ea potestatem spectare e): nec in ea dominis patrimonialibus aliquid iuris competere nisi legitimam eius acquisitionem probare possint.

### §. XVII.

Circa ea autem emolumenta, quae ad iurisdictionem proprius spectant, & non nisi praecedente eius exercitio percipi possunt, veluti, quae relictæ in testamento indignis eripiuntur, aut quae subditis poenae nomine admuntur; alia iterum distinctio obseruanda venit. An nempe, cognitio de delicto, in quod confiscatio s. bonorum publicatio statuta est, iudicibus patrimonialibus competit, nec ne? Privative quidem regulariter non cumu-

a) Ita exprimit COCCIVS in ros. Et IAC. LEMBEK de iure circa rubr. diss. de bonis vacantibus vulgo thes. acquir.  
Erblosen Gütern. & IARGOW in der Einleitung zu der Lehre von Regalien. Libr. II. Cap. VI.

b) SIMON diss. de bonis vacanti- bus vulgo, Herrnlosen Gütern.

c) IAC. AVG. FRANCKENSTEIN de eo quod iustum est circa thesau-

d) HVGO GROTIUS Ius Belli & Pacis Libr. II. Cap. II. § XII. & Libr. I. Cap. I. §. VI. & Cap. III. § VI. add. IO. CHRISTOPH. BECKMANNI diss. de dominio eminenti in eius medietate politicus p. 157-164. & in polit. parall. p. 174 sq.

e) conf. GRIBNERI principia iuriispr. nat. Libr. II. Cap. IV. §. I. n. 6.

cumulative competit iurisdictio, praedio cuidam concessa, subordinata tamen est potestati territoriali, ita, ut quaedam causarum species, ab ea ordinarie exemptae sint; quaedam vero, ob specialem rationem utilitatis publicae, ab ea, per singulares constitutiones eximantur. Sic ratione causarum ad vestigalia pro rebus quae inuehuntur & euehuntur, solvenda spectantium in nonnullis territoriis, speciales iudices constitutos reperimus <sup>a)</sup>. Speciali eiusmodi constitutione existente, quae quatenus fieri possit, disquirere, mei non fert instituti ratio <sup>b)</sup>, tunc, si in factum aliquod illicitum confiscatio statuta est, ea est extraordinaria (§. II), & certum est, multas hoc casu exactas, veluti defraudati vestigalis & merces quae in commissum incident, ad principem pertinere, non ad multas quae dominis patrimonialibus relinquuntur <sup>c)</sup>; quippe quum cognitio multaque determinatio, principi eius praefecto, sit relicta. Eodem modo, in causis, ubi laesiones, principis personae illatae, vel contra iura quae immediate exercet commissae vindicantur, superior principis iurisdictio fundata est <sup>d)</sup>: sic priuilegii tutio, & violationis illius coercitio, ilorum esse dicitur, a quibus conceditur, ita, ut contra violatores, horum solummodo iurisdictio fundata, & forum competens sit.

### §. XVIII.

Aliter se res habet si speciales eiusmodi dispositiones utque rationes deficiunt; tunc enim constans & LEYSERO teste <sup>a)</sup>, cum iurisdictione patrimoniali nata est sententia, tales

C 3

iudices,

<sup>a)</sup> Exemplum habet Perill. P V E T T E R in den auserlesenen Rechtsfällen II, B. III, Thl. Resp. CCXXXVIII, p. 1047.

<sup>b)</sup> vid. STRVBEN rechtl. Bed. II, Tbl. pag. 522.

<sup>c)</sup> conf. HEINECCIVS Resp. XLIII, Pag. 372.

<sup>d)</sup> MEVIVS T. IV. Decis. XCIV.

ibique cit. GAIL obs. Libr. I. obs. J. n. 8. & ZANGER de Except. P. II. Cap. I. n. 403.

<sup>a)</sup> in Meditatt. ad Pandectas sp. DCLVIII. Medit. VIII, conf. STRVBEN rechtl. Bed. III Tbl. pag. 157 & Nebenfunden VI Tbl. pag. 412.

iudices, Romanarum legum conditoribus incognitos, iustitiam, quae olim virtus fuit, inter praediorum suorum redditus referre, fibique emolumenta inde prouenientia vindicare. Nec iniqua est istorum emolumentorum perceptio, quum aequissimum sit, eum, qui vsum iurisdictionis habet, sumptus necessarios suppeditat & onera sustinet, commoda quoque percipere <sup>b)</sup>. Idque tanto magis rationi iuris convenit, quum princeps, tamquam fons iurisdictionis, dominis praediorum iurisdictionem concedendo, iis quoque facultatem concessisse intelligatur, ea commoda percipiendi, quae pro ambitu iurisdictionis, ipse vel officiales eius percepissent, si per eos ipse iurisdictionem exercuisset <sup>c)</sup>. Quae quum de omnibus iurisdictionis emolumentis dicantur, de singulis quoque eorundem speciebus obtinere debent, nullaque ratio subest, cur intuitu lucri ex confiscatione, ordinaria nempe, quoad eas causas, de quibus iudices patrimoniales solent cognoscere, exceptionem statuamus <sup>d)</sup>: quum & hoc inter fructus iurisdictionis possit referri. Nec opus est, de iurisdictionis gradu, quod alii faciunt, disputare, quum pro ambitu & gradu eius, ius de delictis cognoscendi, atque facultas poenas irrogandi & confiscationes decernendi, differat: licet ordinarie tantum vi competentis iurisdictionis criminalis ius confiscationis obtineat, & in causis ciuilibus illud rarissime soleat obtinere.

### §. XIX.

Vix probatione ulteriori egere videtur haec sententia, cum expediti juris sit, quodis qui ex re vel negotio quodam onus sentit, comoda

<sup>b)</sup> GOTTL. WINCKLER diff. de eo      <sup>c)</sup> EETEL I. c. Exercit. XLVII.  
quod iustum est circa multas §. p. 141.

XVIII. MEYERS p 14. Dec. CCCXLIII.

DEINLIN de singulari custodienda-  
rum ignium cura & inspectione, spe-  
ciatim von der Feuerschau p. 50.

<sup>d)</sup> FRID. ES. PUFENDORF de iu-

risdictione germanica § CLXVII.  
HORN Class. II. Resp. CXXIX. p. 134.

moda quoque sentire debeat <sup>a)</sup>, eamque ob causam haec sola regula sufficere possit, nisi magis ad privatorum inter se relationem, quam ad statum publicum pertineret, pro conditione tamen specialium I. R. G. rerumpublicarum, eam inter fundamenta meae sententiae primam ponere, non dubitau. Analogia, quae inter formulam regiminis imperii & specialium eius rerumpublicarum intercedit, elegans argumentum suppeditat: in capitulatione enim caesarea <sup>b)</sup> cautum legimus, non licere imperatori, statibus imperii iura quaesita adimere, & ne in causis quidem criminis, laesae maiestatis, bona quae publicantur, fisco suo vindicare. Ex qua legis imperii sanctione, non incommodo concludimus, nefas esse, si domini territoriales, dominis patrimonialibus iurisdictione praeditis, & a quorum cognitione, crimina, ob quae confiscatio decernitur, non exenta sunt, lucrum quod exinde reddit, adimere, & fisco suo adplicare vellent.

## §. XX.

Satis ita probata sententia, expressa legum imperii dispositione confirmatur. Nam iis, in causis non solum criminalibus <sup>a)</sup>, iudici ordinario hoc lucrum adiudicatur, sed in aliis etiam magistratui civili vindicatur. Sic in Reformatione politica Augustensi d. a. MDXLVIII., item in R. I. d. a. MDLXXVII., <sup>b)</sup> quae leges vestiariae partim sunt, interdicta uestis vel cimelium,

<sup>a)</sup> L. 10 D. de R. I. L. 1. de Institut. Act. Cap. 55 de R. I. in 6. TABOR thes. locorum Communium lurisprudentiae Libr. XIII. Cap. XXII. §. IX. p. m. 544.

<sup>b)</sup> Art. XXI. § IV. Die Allodial-Güter ihrer Unterthanen, auch welche ex criminis laesae Majestatis oder sonstem — vermurkt seynd, oder verwürckt werden mögten, denen mit den iuribus fisci belehnt, oder dieselbe sonst durch beständiges Herbringen haben den Churfürsten, Fürsten und Ständen,

unter welcher Obrigkeit Botmäßigkeit sie gelegen, nicht entziehen, sondern die Landes-Obrigkeit oder dominos territorii mit deren Confiscirung gewähren zu lassen, quo ipso, ea, quae iure publico antiquo in favorem fisci caefarii obtinuerint, expresse notata sunt.

<sup>a)</sup> C. C. C. Art. CXXXV. Solch Erb- und Güter der Oberkeit, der die peinliche Straf- und Fall zu steben, beimgefallen seyn.

<sup>b)</sup> Ibi ita cautum: Und damit diese unsre Satzung — — — defto stärtlicher gehalten und vollzogen werde, so ge-

lium, cum mulcta, quae duplicatum vestis vel cimelii pretium contineat, & quae magistratui cuiusque loci ordinario addicitur. Iisdemque Constitutionibus <sup>c)</sup>, pannis laneis vendendis forma modusque prescribitur, quibus non servatis, panni confiscandi iudici civili eius loci cedunt.

### §. XXI.

Legum igitur praesidio munito, & analogiae ac rationi iuris consentiens huius sententiae determinatio, moribus probatur <sup>a)</sup>, & quotidiana fere praxi confirmatur <sup>b)</sup>. Nec desunt exempla, eadem, ab ipsis dominis territorialibus passim agnитam <sup>d)</sup>, vel specialibus singulorum territoriorum legibus fundamentalibus, etiam si alias quibusdam causis, veluti uti supra jam notatum veſtigialium, peculiares iudices praefecti sint, confirmatam esse <sup>d)</sup>.

bieren Wir — — — alſo wo jemandſ  
in dem überreten und überfahren, foll ein  
Oberkeit dieſelben bey Verlierung des  
Kleids oder Kleynods, ſo wider dieſe Un-  
fere Ordnung getragen, darzu einer Geld-  
buſſe, die zweyfach ſo viel als das Kleid  
oder Kleynod wertb, DER OBERKEIT,  
DEREN DER BVERGERLICH GE-  
RICHTS-ZWANG DES ORTS ZU-  
STEHET, ZV WERDEN, Strafen.

c) Verba haec sunt: die Tücher ſollen  
in beyden obberührbren Fällen die Straf der OBERKEIT, dar-  
unter die Tücher feil gehabt werden, und  
der DER BVERGERLICH GE-  
RICHTS-ZWANG OHNE MITTEL  
DER ORT ZUGEHOERIG, zuſtehen,  
conf. STRVBEN rechel. Bed. III. Tbl.  
p. 157 & 160.

a) vid. STRVBENS Nebenſtunden.  
V. Tbl. p. 182. CARPOV P. IV. Con-  
ſtit. X. Def. IX. n. 5. STRYCK in Vſu  
Mod. Pandectar: Tit. fi quis ius di-  
centi l. c. HEINECVS Elem. Iur.  
Germ. L. II. §. 275. KNIPSCHILD de-

cuitatibus imperii L. II. Cap. VI.  
n. 79. IAC OTTO supr. §. II. cit. l.

b) Recens exemplum sententiae  
nomine iudicis patrimonialis, in  
causa defraudiae veſtigialis latae, vid  
in III. MEISTERI Rechtl. Erklärunſen  
und Gutachten in peinlichen Fällen. I. Tbl.  
Dec. XLIII. p. 143.

c) ap. HALTAVS Glosſ. voce Gerichte.

d) Sie Perill, MOSER in Tr. von der  
reutſchen Unterthanen Rechten und Pflich-  
ten. IV. B. 1. Cap. §. 19. ex KREIT-  
MAYERI Cod. Iudic. Bauar. refert:  
In Maub und Accise Defraudationen hat  
eine jede ordentliche Obrigkeit, mithin  
auch ein Hofmarcbherr mit dem Chur-  
fürſtlichen Maub und Accis-Beamten  
eine concurriende Gerichtbarkeit; mithin  
greift die Praeuention Plaz: ſo viel aber  
die Polizeystrafen und CONFISCATIO-  
NEN in Vorkaufen, Kandereyen, Ehlen-  
Maß- und Gewichts-Verfälschungen be-  
trifft, gehört ſolche dem Hofmarcb-  
Herrn alleine, ſo fern ſich nicht der Freve-  
ler bei dem Maur-Amte ſelbst bereuten läſt.

T A N T V M .



## THESES.

### I.

**T**otum a se contractum debitum, agnouisse censendus est filius familias, qui, pater familias factus, partem eius soluit.

### II.

Prohibita non est prorogatio conuentionalis fatalium appellationis.

### III.

Pecuniae, a pupillo creditor i solutae periculum, si apud creditorem perierit, sentir pupillus.

### IV.

Ad praescriptionem perficiendam sufficit, quod possessor ab initio in b. f. fuerit, nec iuris canonici dispositio quae b. f. continuam desiderat, recte obseruatur.

( 2

V.

V.

In seruitute compascendi, pascuis, vtriusque dominantis perinde ac seruientis pecoribus sufficientibus, constituta, pascua si ex post deficiunt, praeferuntur pecora seruientis.

VI.

Etsi quoque sanctio Iuris Romani, quae poena infamiae viudas intra annum luctus nubentes adficiendas statuit, valeat, illitemen vidua haud est subiecta, quae intra annum luctus, edito tamen partu posthumo ex priori matrimonio, nubat.

VII.

Stupratae dos debetur etiam si nubendi conditio deficiat.

VIII.

Renunciatio Sancti Macedoniani a filiofamilias iurato facta, illud non tollit.



Kiel, Diss.; 1777-1800



5b.





1778, 6  
20

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**LVCRO**  
**EX CONFISCATIONE**  
AN ET QVATENVS  
**VI IVRISDICTIONIS PATRIMONIALIS PERCIPIATVR**

QVAM  
AVSPICIIS REGIIS  
INCLYTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORATATE

P R A E S I D E  
**CAROLO FRIDERICO WINKLER D.**  
REGI A CONSILIIS IVSTITIAE ET IVRIS  
ANTECESSORE

PRO  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS RITE OBTINENDIS  
A. D. IX. DECEMBRIS CIO IOCC LXXVIII

DEFENDET

A V C T O R  
**FRIDERICVS WILHELMVS LEWON**  
VTINO HOLSATVS.

K I L O N I I  
LITTERIS MICH. FRIEDR. BARTSCHII ACAD. TYPOGR.

